



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 61. Conventio inter Joannem Fridericum, & Augustum circa Saxoniae  
Electroatum inita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI A.C. 1554. bris. Pariter eodem anno in Britannia Senatus erigebatur, qui ex quatuor Præsidibus, triginta duobus Confiliariis, duobus Advocatis Generalibus, uno Procuratore supremo, ac duobus scribis constabat, ubi alternatim per semestre jus dicere, jubebantur, ita tamen, ut in uno semestri duntaxat Ministri in Provincia nati pro tribunali sederent. Tandem alia lex omnino severissima promulgabatur, vi cujus Pictones, Rupellani, ac circuminsulani, Engolismenses, Lemovicenses, Petracorii, Santones, atque Aquitani populi, Salis vectigal, quod iis Provinciis impositum erat, undecies centum nonaginta quatuor millibus Gallicorum nummum redimere compellebantur.

## §. LXI.

*Conventio inter Joannem Fridericum, & Augustum circa Saxonice Electoratum inita.*

*Thu. hist.*  
*l. 13. n. 9.*  
*Sleid. comm.*  
*l. 25. p. 940.*

Integer hic annus in Germania impendebatur, ut partim armis, partim comitiis hanc in rem convocatis Saxonie negotia, necnon Alberti Brandenburgici causa decideretur; cum enim Joannes Fridericus mortuo Electore Mauritio Saxonie Electoratum repetere haud

haud desisteret, tandem post semestrem <sup>Sæc XVI.</sup>  
 contentionem ultro, citroque habitam A.C. 1554.  
 res composita est, ministerio Daniæ Re-  
 gis, qui Augusti Socer erat. Erant au-  
 tem sequentes concordix articuli. I. Jo-  
 annes Fridericus Augusto cedit Ele-  
 ctoratum, Misniam, & Aurifodinas,  
 ita tamen, ut Augusto sine liberis ma-  
 sculis extincto ad Saxonem, ejusque  
 liberos mares hæc omnia redeant: II.  
 interim Saxoni licebit usurpare sibi no-  
 men Electoris, & insignia, tam in ob-  
 signandis literis, quam in cudenda  
 moneta: III. Præfecturas etiam, &  
 oppida quædam Augustus ei liberisque  
 ejus largietur, & pro superiorum ali-  
 quot annorum residuis debitis, quæ  
 Mauritius non dependerat ipsius liberis,  
 persolvat centum aureorum millia:  
 IV. arcem, oppidumque Conigspergum,  
 seu Regimontium in Franconia positum,  
 & Episcopo Wirceburgensi oppignora-  
 tum aureorum millibus quadraginta re-  
 luet, & Saxoni, liberisque restituet.

§. LXII.

*Joannis Friderici Saxonice Ducis  
 obitus.*

Hæc conventio Mense Februario rata <sup>Sleid. &</sup>  
 habebatur, eique subscribebat Jo- <sup>Thu. l. c.</sup>  
 annes Fridericus tam periculoso morbo  
 decumbens, ut paulo post tertia Mar-

G 3

tij